

LIBER OCTAVVS. 329

in eam partem est profectus, ubi extremum tempus consumeret aestiuorum. Quam rem, sicut caetera, celeriter feliciterq; confecit: namq; omnes Aquitaniae ciuitates legatos ad eum miserunt, obsidesq; ei dederunt. Quibus rebus gestis, ipse cum equitum praesidio Narbonem profectus est: exercitum per legatos in hyberna deduxit: quatuor legiones in Belgio collocauit, cum M. Antonio, et C. Trebonio, et P. Vatinio, et Q. Tullio legatis: duas in Heduos misit, quorum in omni Gallia summam esse auctoritatem sciebat, duas in Turones ad fines Carnutum posuit, quae omnem regionem coniunctam oceano continerent. Duas reliquas in Lemouicum fines non longe ab Aruernis, ne qua pars Galliae uacua ab exercitu esset. Paucos dies ipse in prouincia moratus, quum celeriter omnes conuentus percurrisset, publicas controuersias cognouisset, bene meritis praemia tribuisset: cognoscendi enim maximam facultatem habebat, quali quisq; animo in Remi publicam fuisset totius Galliae defectione, quam sustinuerat fidelitate, atque auxilijs prouinciae illius. His rebus confectis, ad legiones in Belgium se recepit, hibernauitq; Nemetocernae: ibi cognoscit Commium Atrebatum praelio cum equitatu suo contendisse. Nam cum Antonius in hyberna uenisset, ciuitasq; Atrebatum in officio maneret, Commius, qui post illam uulnerationem, quam supra commemorauimus, semper ad omnes motus paratus suis ciuibus esse consuesset, ne consilia belli
x s querentibus